



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. V. Qui possint, vel teneantur ingredi Religionem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

religiosi ad id se obligare intendant, cum se quasi holocaustum Deo tradant.

*Quæres.* An subditus teneatur obedire, si dubitet, utrum sit res licita, quam Prælati jubet, vel iusta causa imperandi?

*Resp. I.* Communiter teneri, quia tunc melior est conditio superioris, qui est in possessione potestatis præcipiendi: in dubio autem nemo spoliandus est jure, quod habet. Nec dicas, subditum etiam esse in possessione libertatis, cum habeat debitum parendi.

*Resp. II.* Non teneri, si grave damnum obediendo timeat. Ratio, quia in dubio favendum est reo, eique de cuius damno agitur. Etsi enim subditus non sit in possessione libertatis, est tamen in possessione juris, quo potest se à periculosis rebus conservare, *Less. Sanch. 6. mor. cap. 4. alique.*

## DUBIUM V.

*Qui possint, vel teneantur ingredi religionem?*

*Resp. I.* Omnes illi, & soli, possunt ingredi religionem, qui sunt sui juris, nec aliis obstricti: qui verò aliis obstricti sunt, non possunt sine eorum consensu. *Less. lib. 2. cap. 41. dist. 3.*

Unde 1. Non possunt ingredi religionem impuberes, quia subsunt parentibus, vel tutoribus, quoad vitæ dispositionem. 2. Nec filii, si parentes sine illis se alere nequeant. *Laym. l. 4. i. 5.*



35. c. 4. num. 1. 3. Nec servi, sine consensu dominorum, 4. Nec qui decipit virginem, sub promissione matrimonii. 5. Nec is, qui non est solvendo creditoribus; modo in seculo manendo, possit intra paucos annos solvere. *D. Thom.* tamen *Sylv. Fumus v. Religio*, & alii, putant, illum posse bona presentia cedere creditoribus; quia persona hominis liberi non est pro pecunia obligata. 6. Nec Episcopus, sine consensu Papae, cui iuramento se obstrinxit: praterquam quod sit obstrictus suae Ecclesiae, sicut maritus uxori. Nec conjuges post matrimonium consummatum, nisi vir per vim consummasset, ante expletos 2. menses, qui eis à jure conceduntur; aut nisi alter conjugum commisisset adulterium: tunc enim innocens ingredi possit.

Resp. II. Qui vovit religionem, tenetur ingredi secundum sequentes regulas.

I. Non tenetur, imò nec potest licite ingredi ordinem, in quo collapsa est disciplina regularis, idque ob periculum perversionis, *Laym. l. 4. t. 5. c. 6. n. 5.*

II. Qui vovit laxiorem, licite ingreditur strictiorem, non tamen contra; quia minus praestaret, quam promisit. Quod si tamen profiteatur in laxiore, valida est professio, & liberatur à voto strictiorem ingrediendi. Ratio, quia votum solemne, quo fit personae traditio, & religioni jus in personam acquiritur, derogat priori voto simplici, per quod nullum tale jus religioni strictiori erat acquisitum, *Laym. l. c. ex Sancto Thom. q. 6.*

III. Is



III. Is qui vovit experiri religionem strictiorem, potest id commutare in votum profitendi, & perseverandi in laxiore. Ratio, quia hoc melius est, *Laym. l. c. ex Sanch. & c.*

IV. Professo licentiam transeundi ad ordinem laxiorem, Episcopus vel Prælatus ordinis exemptus, eum consensu Capituli, dispensativè ex justa causa dare potest. *Laym. l. c. Less. l. 2. c. 41. n. 103. Sanch. 6. mer. c. 7.*

V. Professus, ad ordinem strictiorem, petita licet non concessa, Prælati sui licentia, ex justa causa transire potest. Quod addo, quia huiusmodi transitus sine causa, temere fieri non debet. Quod si autem fiat, spectanda est austeritas circa silentium & solitudinem; idque non tantum secundum institutum regulæ, sed etiam secundum observationem præsentem. Probat *ex c. Licet, de regularibus v. Laym. Sanch. l. c. c.* Ex dictis resolvuntur hi Casus.

I. Canonici regulares ad Monachos transire possunt, non contra, cum religio Monachorum austerior sit. *Laym. l. c.*

II. Professus regulam strictiorem, si ea non servetur in suo monasterio, aliove eiusdem ordinis, nec sit spes reformationis, potest transire ad laxiorem, in quo regula servetur: ita ut considerato præsentis statu ducat vitam strictiorem.

*Laym. l. 4. tr. 5. c. 6. nu. 10. Sanch.*

*Rodr. & c.*

DUBI